

pondetur imprimis, etiamsi antecedens concederetur, habere tunc locum distinctionem Soti, quia licet tunc circumcisio non esset utilis ratione legis veteris, fuisset utilis ratione remedii legis naturæ, quia esset protestatio fidei, cum nondum lex vetus esset mortifera. Melius vero dicitur argumentum probare intra brevius tempus cessasse circumcisionem pro Judæis, quam remedium legis naturæ pro gentibus, non tamen quod statim eo die pro omnibus Judæis per universum orbem dispersis cessaverit circumcisio, quia licet fides Christi antea prædicari cœperit, tamen necessitas Baptismi non fuit ante prædicata, et ideo in die Pentecostes cœpit ejus promulgatio, quæ non poterat statim diffundi humano more in omnes provincias in quibus Judæi habitabant: et ideo etiam ad hanc promulgationem sufficiens tempus concedendum est, ne dicamus omnes illos parvulos fuisse privatos remedio ante opportunum tempus. Item, quia lex circumcisionis non prius nec alio modo mortua est, ut ex supra dictis constat: et juxta hanc doctrinam accommodanda et explicanda sunt quæ dixi 3 tom. 3 partis, disp. 27, sect. 4.

6. *Responsio.* — Dices: Judæi jam non applicabant illud remedium ex vera fide; ergo non poterat esse utile. Patet consequentia, quia non erat utile nisi quatenus applicabat fidem. Antecedens autem patet, quia applicabant illud ex fide venturi Messiae, et in signum ejus, quod falsum jam erat. Respondetur errorem illum quoad circumstantiam temporis fuisse privatum, et fortasse in multis per ignorantiam invincibilem excusatum. Unde non excludebat veram fidem de Messia promisso, nec reddebat falsam significationem ipsius sacramenti, ut supra declaravi, ideoque error ille non impediēbat fructum. Sicut nunc error privatus in ministro Baptismi, si non excludat generalem intentionem sacra-

menti, non impedit effectum ejus. Et patet, quia, vivente Christo Domino, poterat similis error misceri in mysterio circumcisionis, et tamen non propterea reddebatur inutile. Dici etiam potest in illa existimatione distinguendam esse fidem de substantia mysterii, abstrahendo a circumstantia temporis, ab errore circa temporis differentiam, et priori modo fuisse veram fidem, quia solum erat de Christo in aliquo tempore venturo, abstrahendo utrum jam venisset necne, et ut sic fuisse utilem protestationem fidei factam sive per circumcisionem, sive per sacramentum legis naturæ, non obstante falsa opinione privata quæ circa temporis differentiam misceri poterat.

7. *Objectio.* — *Responsio.* — *De remedio legis naturæ quid dicendum.* — *Duplex ignorantia diligenter distinguenda.* — Dices tandem: ergo etiam nunc si inveniretur aliquis Judæus habens ignorantiam invincibilem christianæ veritatis, et bona fide circumcideret filium, illa circumcisio esset utilis, nam videtur eadem ratio. Respondetur esse longe dissimilem rationem, ideoque negari consequentiam. Quia ex quo Baptismus necessarius esse cœpit, circumcisio in se omnino inutilis facta est, et illa ignorantia est per accidens, quæ non dat virtutem, nec restituit, ut sic dicam, utilitatem illi operi; sicut etiam de remedio legis naturæ in universum dicendum nunc est, ut suppono ex materia de Baptismo. Et ideo attente in hac materia distinguendum est inter ignorantiam provenientem ex defectu promulgationis, seu temporis sufficientis ad illam, vel provenientem ex aliis humanis impedimentis, non obstante promulgatione jam facta. Nam prior ignorantia est per se, ex impotentia simpliciter, ac proinde consideratur ex parte legis, ut eo tempore necessitatem non inducat. Alia vero ignorantia est per accidens, et non consideratur.

FINIS LIBRI NONI.

INDEX CAPITUM LIBRI DECIMI

DE LEGE NOVA DIVINA.

- | | |
|---|---|
| CAP. I. <i>De lege nova et legislatore Christo.</i> | CAP. V. <i>De effectibus legis novæ.</i> |
| CAP. II. <i>De materia legis novæ et præceptis ejus.</i> | CAP. VI. <i>De dispensatione circa legem novam.</i> |
| CAP. III. <i>De descriptione legis novæ.</i> | CAP. VII. <i>De perpetuitate legis gratiæ.</i> |
| CAP. IV. <i>De tempore quo obligavit universum orbem.</i> | CAP. VIII. <i>De perfectione legis novæ comparatione veteris.</i> |

LIBER DECIMUS.

DE LEGE NOVA DIVINA.

Distinximus in superioribus divinam legem in veterem et novam, ideoque post tractatum de lege veteri solum superest dicendum de nova, quæ in Scriptura Sacra variis nominibus appellatur. Nam a Paulo interdum appellatur *Lex fidei*, ad Rom. 3; vocatur etiam *Lex Spiritus vitæ*, ad Roman. 8; unde communiter appellatur *Lex gratiæ*: nam gratia est spiritus nostræ vitæ, vel etiam vita nostri spiritus. Imo solet interdum gratia simpliciter appellari, juxta illud Joan. 1: *Lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*; et ideo Paulus ad Galat. 5 dixit: *Non estis sub lege, sed sub gratia*. Propter quod etiam vocatur hæc *Lex amoris*, juxta illud Pauli ad Romanos octavo: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater, qui*

est spiritus dilectionis, ut idem Paulus dicit ep. 2 ad Timoth., cap. primo: et inde etiam vocatur interdum *Lex libertatis*, Jacobi 1, quia *ubi spiritus Domini, ibi libertas*, 2 ad Corinth. 3; et ob eandem causam dicitur *Lex scripta in corde*, Jerem. trigesimo-tertio, et ad Hebr., octavo et decimo, quia divina gratia et amor menti infunduntur. Denique appellatur *Lex nova*, vel quia totum hominem per gratiam renovat, ut sumitur ex Augustin., tract. 65 in Joann., vel quia est ultima lex a Deo data, quæ priorem antiquavit, ut sensit Cyrillus, lib. nono in Joann., cap. vigesimo-tertio, explicans verba illa Christi Joan. 13: *Mandatum novum do vobis*; quæ, licet de mandato amoris specialiter dicta fuerint, merito ad totam legem amoris, quæ in præcepto amandi virtute continetur, et ab eodem Christo data est, accommodantur, ac

propterea etiam hæc lex ab auctore suo *Lex Christi* appellatur. His ergo variis nominibus excellentia hujus legis, et ejus causæ, effectus, et proprietates insinuantur, quæ a nobis sigillatim tractandæ sunt, eodem ordine quo de cæteris legibus disputavimus. Et quamvis ex divisione superius data, et ex tot Scripturæ testimoniis, supponamus datam esse a Deo hujusmodi legem, nihilominus propter hæreticorum importunitatem, pauca de hujus legis veritate et proprietate præmittenda sunt.

CAPUT I.

UTRUM LEX NOVA SIT VERA ET PROPRIA LEX, ET CHRISTUS DOMINUS PERFECTISSIMUS LEGISLATOR.

1. *Hæreticorum dogma.—Fundamentum.*—Ex attributis quæ Scriptura novi Testamenti huic legi tribuit, per tot nomina superius proposita, sumpserunt occasionem hæretici hujus temporis negandi veritatem hujus legis, et in summa eam omnino e medio tollendi. Nam quia propria ratio legis in hoc consistit quod sit præceptum commune, ac proprium imperium obligationem inducens, negant legem Christi esse veram legem in hac legis proprietate et rigore, et consequenter etiam negant Christum ipsum fuisse verum legislatorem in eadem proprietate. Ita sentit Luther., lib. de Libert. Christian., et in Epistola ad Galat., cujus verba refert Bellarm., lib. 4 de Justific., c. 1, et in eodem errore fuit Calvinus, apud Stapletonium, in epistola ad Romanos, cap. 3. Idem Beza et alii. Et ex hoc principio inferunt falsas quasdam differentias inter Testamentum vetus et novum, et legem Moysi et Christi, quas infra suo loco refutabimus. Fundantur autem primo, in omnibus illis testimoniis quibus probare solent libertatem Christianorum, et præsertim justorum, ab omni lege, ut est illud: *Justo non est lex posita*, 1 ad Tim. 1; et illud: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*; quia vero hæc loca generaliter supra tractata sunt in l. 1, et de lege humana in l. 3, ubi dicta testimonia explicata sunt, ideo, illis prætermissis, hic addere possumus argumenta quibus specialiter suadere tentant Christum non onerasse homines novis præceptis ultra legem fidei.

2. *Hæreticorum quatuor argumenta.*—Hoc autem suadent, primo, ex eo quod hæc lex specialiter appellatur *Lex fidei*, ad Rom. 3,

tanquam a proprio et quasi adæquato objecto et unico præcepto suo; quod etiam colligunt ex illo Matth. ult.: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*, ubi sola fides tanquam necessaria proponitur. Secundo, ex appellatione gratiæ; gratia enim non est propria lex; lex autem Christi non est aliud nisi ipsa gratia, et ideo, exclusa lege per Moysen data, Christus solum dicitur fecisse gratiam et veritatem, id est, complementum veteris legis, nulla facta mentione legis novæ ab ipso latæ. Tertio, ex appellatione legis libertatis; obligare enim per nova præcepta repugnaret libertati hujus legis per Christum inductæ. Cur enim magis diceretur hæc lex libertatis quam lex Moysi, si præceptis oneraret sicut illa: nam quod sint plura vel pauciora præcepta, non sufficit ad absolutam libertatem, et interdum onus paucorum præceptorum, propter eorum gravitatem potest esse majus quam plurium. Quarto, ex appellatione Evangelii sumpta ex illis Christi verbis, Marc. 16: *Prædicare verbum omni creaturæ*; nam per hoc nihil aliud præcepit prædicare, nisi legem suam: Evangelium autem non significat propriam legem, sed bonum nuntium, ut notavit Aug. lib. 2 contra Faust. in cap. 2. Est ergo lex gratiæ tantum bonum nuntium, quia vitam æternam absolute promittit omnibus credentibus, vel ad summum sub eoditione fidei omnibus hominibus, cum lex vetus nihil promitteret nisi sub conditione mandatorum, juxta illud: *Qui fecerit ea, vivet in illis*, Ezech. 20.

3. *Catholica veritas Christum Dominum non solum fuisse Redemptorem, sed verum et proprium legislatorem.*—Dicendum vero primo est Christum Dominum non solum fuisse redemptorem, sed etiam fuisse verum et proprium legislatorem. Hæc assertio est de fide, definita in Concilio Tridentino, sessione 6, canon. 21; quæ probatur primo ex verbis Isaïæ 33: *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster*, ubi non loquitur Propheta de Deo tantum ut Deus est, sed aperte de Messia, de quo præmiserat: *Domine miserere nostri, te enim expectavimus*; et infra: *Regem in decore suo videbunt oculi ejus*; et postea subjungit prædicta verba, et de eodem concludit: *Ipse salvabit nos*, ac si aperte dicat Christum non solum fuisse venturum ad salvandum, sed etiam ad leges ferendas: et ita illum locum de Christo et Ecclesia exposuerunt Hieronymus et Cyrillus Alexandrinus ibi; et sine dubio intelligenda sunt omnia illa

verba cum proprietate; tum quia nihil est quod ad improprium vel metaphoricum sensum cogat; tum etiam quia Christus est proprie salvator et proprie judex cui Pater omne dedit judicium, ut ipse testatur Joan. 5, et de illo testantur Actor. 10 et 17 Petrus et Paulus; et etiam propriissime rex, juxta illud Ps. 2: *Ego constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*, etc., et illud Psal. 71: *Deus judicium tuum Regi da*, etc., quæ de Christo sine dubio sunt dicta, ut Ecclesia et Patres intelligunt, et contextus ipse cogit, et confirmant verba Angeli ad Mariam, Lucæ c. 1: *Dabit illi Dominus Sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum*: et ipsemet Christus coram Pilato testatus est: *Tu dicis, quia Rex sum ego*; ergo cum eadem proprietate prædictum est de illo fore legislatorem.

4. *Confirmatur.*—Imo ex eisdem verbis colligitur optima ratio; nam omnis rex, ex vi sui domini et potestatis, est legislator; sed Christus est perfectissimus rex: ergo est proprie legislator. Idemque probari potest ex munere judicis: nam quando judex est supremus et summe perfectus, simul est legislator, juxta illud Jacobi 4: *Unus est legislator et judex, qui potest perdere, et salvare*. Denique potest simile sumi argumentum ex munere summi Pontificis, quod Christo tribuit Paulus ad Hebr. 7 et sequentibus. Nam ad summum Pontificem pertinet, ut possit etiam leges ferre in his quæ ad Deum spectant; ergo hæc potestas maxime fuit in Christo, quia fuit perfectissimus Pontifex, et caput Ecclesiæ. Dicent fortasse non illi defuisse potestatem, tamen non illa usum fuisse, et ita fuisse legislatorem quasi in habitu, non in actu. Sed hæc evasio ineptissima est; tum quia nomen legiferi aut legislatoris plus significat; tum etiam quia ita Christus est judex et rex ut actu judicet et gubernet: ergo ita etiam est legislator; tum præterea quia non frustra illam potestatem assumpsit, sed ut perfecte suos subditos regeret et gubernaret; tum denique quia ex Scriptura constat prophetiam illam factam esse non solum de potestate, sed etiam expresse de actu, Jeremiæ 31: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domum Israel, et domum Juda fœdus novum*; et infra: *Dabo legem meam in visceribus eorum*; quam promissionem per Christum esse impletam, docuit Paulus ad Hæbræos 8 et 10, et ex sequenti assertionem aperte constabit.

5. *Lex Christi est vera ac propriissima lex*

præceptiva.—Dico ergo secundo: lex Christi, seu lex nova, est vera ac propriissima lex præceptiva. Est etiam de fide, definita in eodem Conc. Trid., sessione. 6, canon. 19, illis verbis: *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, anathema sit*; et ideo in canone 21, cum definit Christum datum esse hominibus etiam ut legislatorem, addidit: *Cui obediant*; obedientia autem respondet proprio præcepto, seu legi actuali. Præterea fuerat hæc lex promissa Isa. 2: *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem*, ubi constat esse manifestam prophetiam de adventu et prædicatione Christi; et proprietatem verbi *lex* juxta veram regulam interpretandi Scripturam retinenda est, et ita exposuit Aug., lib. 17 de Civ., cap. 50; et l. 17, cap. 17, adjungit illud Psalm. 100: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*. Quod ita clarum est, inquit, ut non solum infideliter et infeliciter, sed etiam imprudenter negetur. *Et ipsi quidem fatentur inimici ex Sion missam fuisse legem Christi, quod Evangelium nos vocamus, et eam virgam virtutis ejus agnoscimus*. Unde licet vox *virga* ibi ad litteram metaphorica sit, optime tamen declarat proprietatem legis, quæ consistit in præcipiendo et regendo, juxta illud Psalmi secundi: *Reges eos in virga ferrea*, etc., id est, inflexibili et omnino recta.

6. *Confirmatur.*—Præterea in novo Testamento evidenter ostenditur impleta per Christum hæc prophetia; nam Matth. 5 coepit Christus ostendere legislationem suam, perfectius declarando naturalem legem quam antea intelligeretur, sæpius dicens: *Ego autem dico vobis*, etc.; et similiter de præcepto charitatis dixit Joan. 13: *Mandatum novum do vobis*; et c. 14: *Hoc est præceptum ut diligatis invicem*. Tulit etiam positiva præcepta, ut de Baptismo Joann. 3: *Nisi quis renatus fuerit*, ubi necessitas medii formaliter explicatur, tamen in hac involvitur vel supponitur necessitas præcepti. Et eodem modo includitur præceptum Eucharistiæ in verbis Joann. 6: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, etc., et præceptum confessionis in illis Joann. 20: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur illis; et quorum retinueritis, retenta sunt*. Et præceptum novi sacrificii habetur in verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. Ac generaliter de tota sua lege, et specialiter de Baptismo tanquam de janua ejus, dixit Matth. ult.: *Erunt docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*,